


Exercitatio Theologica Secunda De Luce Increata, Et Creata

Tubingae: Reisius, 1681

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn872462978>

Druck Freier  Zugang





78.



Ja - 1092(78) (SON)

Tomo Soc. LXXXVII. habent

1. Isaac Faustig de Epistola Jacobi sententia Veterū.
2. ——— ad locum Jacobi V, 14. 15. p sent. Lutheri prior.
3. ——— ——— ——— ——— ——— Posterior.
4. ——— ——— ——— ——— ——— Tertia.
- 5-13. Jo. Adami Osiandri Disputationes IX. de luce increata et creata.
- 14-18. Michaelis Muller Disputationes V. de Invocatione S. S.
19. Wilhelmus Zeschig de Theologia principio cognoscendi.
20. Georgius Hennig Haerberling de Benivolentia Dei generali et speciali.
21. Fndencus Gerschorig de Passione et morte Jesu Christi.
22. ——— Haerberlinus de Baptismo. ^{Sum}
23. Jo. Adamus Scherzerus de fide baptisatorum infra
24. Antonius Reiserus de Sacram. Baptismi.
25. ——— Haerberlinus de Justificatione.
26. ——— J. A. Osiander de Justificatione
27. ——— ——— de fide justificante.
28. Mich. Muller de Imputatione justificationis.
29. Jo. Fndencus Olearius de Renovatione.
30. Jo. Meisnerus de oratione spiritus. in habitatione.
31. Jo. Osiander de Ecclesia.
32. Geom Hennig Keller de Ecclesia infantum.
33. Jo. Lud. Hartmannus de Elencho morali.
34. ——— Jo. Ad. Osiander de Miraculis.
35. ——— ——— ——— de Miraculis.
36. ——— ——— ——— de Jure Patronatus Episcopatus etc.

37. Geom. Henricus Keller de Magistratu Pol.
 38. Königsmg. Hirkander. Satyra in Bökelmanni Dissert.
 inaug. de Potestate Ecclesiastica.
 39. Jo. Henrici Maji Epistola ad J. Jo. Frischlayonem.
 40. Disputatio ad 1 Jo. 11, 1. 2.
 41. Fridericus Lipsius de Martino Antonio de Do-
 minis Episcopo Spalatensi.
 42. Ministerii Tripolitani Anticenis. Indicii Syncretismi
 43. Eiusdem Ministerii Liber ad Collegia Theologica.
 44. Erney Affligg Risus Unschuldigmüßmüß
 Luffen.
 45. Melchioris Cornei Aristoteles redirevo R. Cathol.
 46. Gottlieb Wernsdorff Progr. de Ernesto Lueb.
 ad Orat. inaug. O. Luhn.
 47. —. Exploratio Spiritus Brendeliani.
 48. Jo. Reinhart Brecht de Paenit. Iterabili.
 49. Jo. Michael Ludwig de prejudiciis practiciis.
 50. Georgi Gustavi Zeltneri conjecturae de Meliarmo
 presenti et Apoc. pp. 4 ff.
 51. Godofredi Ludovici Progr. de Epist. ad Ebneos.
 52. Christoph. Matthiae Pfaffig de Gratia et Prae.
 53. Jo. Sigismundus Kirchmeier de Principio fidei
 Verbo Dei contra revelationes Inspiratorum.
 54. Jo. Henricus Majus Filij de Novi Anni Lib. auspiciis.
 55. Gasparij Cardilli Apologia pro Indictione Concilii
 Tridentini

J. S.

EXERCITATIO THEOLOGICA
SECUNDA

De
LUCE INCREATA,
ET CREATA,

Quam
Auxiliante Divinâ Gratiâ,

SUB
PRÆSIDIO
VIRI

REVERENDISSIMI, AMPLISSIMI, ATQUE
EXCELLENTISSIMI

DN. JOH. ADAMI OSIANDRI,
SS. Theol. D. & Prof. P. Senioris celeberrimi,
Universitatis Cancellarii Dignissimi, Præpositi Ecclesiæ
vigilantissimi, meritissimi.

Dn. Patroni & Præceptoris æternis obsequiis devenerandi

Eruditorum Examine submittit

M. FELIX Buttersack / Balingensis,
SS. Theol. Stud. in Ill. Stip. Theol.

Ad Dies 6 Julij,

IN AULA THEOLOGORUM NOVA.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-HENRICI REISL.

Anno MDC LXXXI.

EXERCITATIO THEOLOGICA
SECUNDA

DE
LUCE INCORRUPATA
ET CREATA

Auribus D. G. G. G.

PRÆFATIO

DR. JOH. ADAMI OSIANDRI

SS. Theol. D. & Prof. P. Scenioris celeberrimi

Universitatis Christiane in Ditione Lipsiensi

Dr. Publici & Professoris alicuius obsequio decessit

Exhibitorum & examini submittit

M. FELIX SPINDELBAUM

SS. Theol. sub. in ill. Sup. Prof.

IN AULA THEOLOGICA NOVA

MDCCCLXXII

Theophrastus

Adm. Libr. No. 1234



EXERCITATIO THEOLOGICA
SECUNDA

De

LUCE INCREATA
ET CREATA.

THESIS XXX.



Igidi itaque in hunc Episcopum sunt ipsi Pontificii. Unde Benedictus Pererius sequentia addit suæ Disputationi: *Dicet aliquis, Eugubinum satis modeste hanc opinionem suam prodidisse, subiecisse enim eam Judicio & Censuræ Ecclesiæ, paratum, si ab Ecclesiâ damnetur, eam quoque damnare. Rectè istud quidem; sed quanto satius fuisset, tam perversum & impium dogma non evulgare, quam cum istiusmodi correctione relinquere in Scriptis, quod Lectori non admodum cauto & erudito errandi præbeat occasionem? Itaque verè dici potuisset Eugubino, quod in quendam scitè dixit Cato, quare, inquit, culpam deprecari, quam eâ carere maluisti.*

XXXI.

Expeditis hisce via facilior nobis erit in sequentibus. Nam quæ Moscorovius disputat, ex dictis aliquatenus possunt declinari & discuti. Urget primò Smiglecium, quod Apostolus disertissime testetur, Deum inaccessibleem Lucem inhabitare, non itaque crassum esse, qui divinæ revelationi assensum præbeat. At non est Quæstio, an Apostolus hoc dicat, sed quo sensu, nec Smiglecium Paulum oppugnat, sed commentum Moscorovii, nec dicit crassum esse, qui revelationi divinæ Assensum præbet, sed qui existimat Lucem quandam ad modum loci Deo circumfusam, adeoque non præfert divinæ Revelationi hominum commenta, sed Moscorovius sua commenta divinæ Revelationi inducere satagit. Rationes verò Smiglecii non expugnat Moscorovius. Non primam, nam aut Lux illa inaccessibleis, quam Deus inhabitat, est increata, aut creata; si prius, non erit diversa ab ipso Deo, quod tamen vult Moscorovius, si

E

poste-

21 4
23 46.8
45
22
21 10
3
8
4
31
1
3
14
3
3

posterior, erit aut angelica, aut corporea Lux, non illa, ut Moscorovius admittit, ergo hæc; Quæ itaque non concipiatur, ut ad modum loci circumfusa Deo, & cum habitaculum sit, nihilque extra suam sedem naturalem, vel locum existat, Deus sanè pro loco ex mente Moscorovii illa Luce egebit: finge autem Deo non competere per modum indigentia, competet tamen per modum convenientia, atque ita habitabit in aliqua à se diversa Luce, quæ aut æqualis Deo, aut inæqualis, si prius, aut erit ipse Deus infinitus & immensus, aut præter Deum diversum aliquod immensum & infinitum dabitur, si non æqualis, non erit habitaculum ipsius Dei proprium & adæquatum, & eo ipso quo inæqualis inter finita computanda. Denique si per illam Lucem intelligitur Majestas Deo conveniens, sequitur non diversam esse illam à Deo ipso, ut enim Majestas Regi alicui terreno intimè adhæret, ita si de Majestate Dei sit sermo, in quem nullum cadit accidens, sublimitas illa & Majestas ipsi Deo identificabitur, unde etiam Ravanellus Tomo secundo ita: Majestas, id est, Decus, Amplitudo, Gloria & Dignitas scribit: Sic celebratur Majestas Dei 1. Chron. 16. v. 27. & cap. 29. v. 11. Psalm. 104. v. 1. Esaiæ 30. v. 30. item Ebræor. 1. v. 3. & 8. v. 1. in quibus locis extat vox *μεγαλωσύνης*, per quam intelligi potest Deus ipse: nam apud Hebræos Deus denotari solet per Majestatem; sicut etiam per potentiam. Videatur locus Esaiæ 42. v. 8. Non *secundam*, partim quia non repugnat Deum esse Lucem inaccessibleem, & tamen habitare Lucem inaccessam. Si enim Deus dicitur Deus absconditus Esaiæ 45. v. 15. cur non etiam dici possit Lux inaccessa: absconditus enim dicitur, notante Sanctio, quia illum nulla ingenii creati vis, ut sentiunt communiter Patres comprehendere, neque in infirmo isto ac mortali statu videre potest; partim quia eo ipso quo Deus dicitur inhabitare Lucem inaccessibleem, & simul Lux dicitur in Scriptura, colligitur ita inhabitare illam, ut sit ipsa Lux inaccessa, qui enim rem aliquam inhabitat, ille intimus rei esse intelligitur, & cum de Deo hoc dicatur, ita inhabitare intelligitur, ut illa Lux sit & habitaculum & vestimentum ejus, adeoque intima ipsi Essentia divinæ, quam proxima animæ, quæ Lux est, facultates suæ, quam propria homini caro, quæ Deus ipsum vestivit Jobi 10. v. 12. tam eminenter proxima

ma

ma, propria & intima est Deo Lux illa, quam inhabitat, qua se vestit, adeoque ipsa Essentia. Ipse sanè Apostolus Johannes nos docet hæc coincidere, cum enim dixisset; Deus Lux est & tenebræ in ipso nullæ sunt versu quinto, subjungit versu septimo, ipsum Deum esse in Luce, non esse sicut homines, qui sint extra Lucem & in illa ambulent tantum; partim quia falsum est inhabitare Lucem inaccessibleam, & esse Lucem inaccessibleam non in idem recidere, & contra omnem rationem confundi: quanquam enim in rebus creatis admitti possit, quibusdam inhabitans & inhabitatum esse diversa, & distincta esse inhabitare Domum aliquam, & esse ipsam Domum, non tamen in Ente summo & simplicissimo pariter hoc obtinere à quoquam demonstrabitur, de quo etiam in præcedentibus: Non tertiam, nam Deus de quo Johannes cap. 1. v. 5. aut est Lux illa inaccessiblea, aut non est: si primum, habebitur intentum & frustra negavit Moscorovius Deum esse Lucem inaccessibleam; si secundum Deus erit Lux accessibilis, si verò Lux quam inhabitat Deus non est accessibilis, nec ipse Deus erit accessibilis, qui enim habitat in Domo inaccessiblei, ille quoque inaccessibleis est, imò magis inaccessibleis erit Lux, quia profundior & quod illam circumfundit, facilius adiri potest. Præterea distincta confunduntur à Moscorovio, quod quidem ille imputavit Smiglecio, quasi scilicet in Luce esse & in Luce ambulare, sunt unum idemque: quamvis enim de nobis enunciata illa prædicata à quibusdam pro iisdem haberi possint, tamen si de Deo dicatur, quod sit in Luce, & de nobis quod ambulemus in illa, fatis luculentum discrimen ex dictis patet. Denique in Luce ambulare nihil aliud esse, quam justè & sanctè agere, & cum de Deo dicitur, Deum esse in Luce, & esse Lucem, nihil aliud designari, quam Deum sanctum & justum esse & ad ejus societatem non aliter nobis aditum patere, nisi depositis tenebris, id est, relictâ omni pravitate justè & sanctè vixerimus, nimis exiliter dicitur. non tangam, quo in sensu Photiniani dicant nos ad societatem Dei aliter non pervenire, quam sanctitate vitæ, illud tantum moneo, non tantum Dei Sanctitatem & Justitiam exprimi nomine Lucis de Deo usurpata; num enim Deus non est Lux ratione Sapientiæ & Scientiæ? num non ipsa quoque est Lux? quantò rectius B. noster Hunnius: *Lux dicitur, Deus hoc*

est sincerissima planèque purissima Essentia, cui nihil vitii, nihil ignorantia, malitiaque sit admixtum: Lux scilicet absque tenebris, hoc est, Sapientia absque Ignorantia, Veritas sine mendacio, Innocentia sine labe criminis, Justitia & Sanctitas absque ullâ Iniquitate. Tandem non se probant nobis, illa quæ Origenis Autoritate confirmare intendit, tum quia Deus non tantum est Lux causaliter, sed etiam essentialiter, & quidem primò: neque enim esset Pater Luminum nisi ipse Lux, nec Christus à Johanne tantum dicitur Lux in sensu efficiendi, sed & essendi, tum quia Deus non Lux dicitur translatione sumpta à Luce corporea ad invisibilem, sed potius omnis Lux corporea dicitur talis proportionem ad Deum primam & veram Lucem, cujus exilis tantum imago illa corporea in Sole, Syderibus & cæteris corporibus Lucidis apparens, nec metaphoricè aut figuratè Deus dicitur Lux, sed propriè, imò propriissimè, adeoque per naturam ipse Lux est, tum quia, si Deus per naturam Lux est, frustra fingitur habitare in Luce à se diversa. Rectè autem Smiglecius asseruit: Dici Deum nostro loquendi more in Luce habitare, quia ipse sit Lux inaccessibilis, quam nemo hominum vidit, nec videre possit: si enim figurata est phrasis secundum Moscorovium, cum Deus dicitur Lux, quantum magis figurata erit, si Deus dicitur inhabitare Lucem inaccessam, nec habet quicquam quod reponat solidè, sed tantum repetit priora, & quæ in antecedentibus protrita denuò producit & occentat.

XXXII.

Pressit Smiglecius Moscorovium argumento ex disjunctivo æqualitatis & inæqualitatis, cui non satisfacit. Nam primò malè respondit, dicendo, Deum habitare dici Lucem inaccessam: Non itaque intra ipsam Dei essentiam Lucem illam esse, quod supra excussum. Secundo concedit Deo illam Lucem minorem non esse, quia aliàs à Deo habitari non posset. at Deus est immensus, immensa itaque erit etiam Lux illa, & cum diversa sit à Deo, duo habebimus immensa, imò cum Deus etiam dicitur tenebras possidere latibulum suum præter Lucem illam, adhuc dabitur immensum, nempe profundum illud tenebrarum, quia à Deo habitari non posset, si minus esset. Tertio dicit, si concedatur Lucem illam æqualem esse Deo, non sequi eam esse Deum, quia non sit æqualitas omni-

omnimoda: At sequitur utique, nam quod immensum est, id ita Deo æquale est, ut sit ipse Deus, cum præter immensum unum nullum aliud detur, & quod in uno proprio attributo cum Deo paris conditionis & naturæ, id quoque in altero, cum in Deo omnia sint unum & idem. Semetipsum itaque oppugnat, dicendo, quemadmodum Deum aliquem alium existere præter Christi Patrem *αὐθιγατον* prorsus est; ita omnimodam in re aliquâ illi Deo dari æqualitatem. Et sanè si æquale pressè sumatur, tum in sensu scripturario, tum philosophico æqualitatem notat omnimodam, ut constare potest ex Jobi 31. v. 15. Matth. 20. v. 12. Apoc. 21. v. 16. unde Judæi Christum trucidare studebant, quod æqualem se faceret Deo. Joh. 5. v. 18. & propterea ipse Deus negat se æqualem habere posse. Esaiæ 40. v. 25. remque aliquam ex parte æqualem esse Philosophis inter absurdorum retrimenta refertur, cum eo ipso quo ex parte tantum respondet alteri, non æqualis sit illi. Instantia de credentibus planè non quadrat. Falsum quippe illos fore æquales cum Deo ratione immortalitatis & vitæ nullum finem habituræ; Falsum nunc esse æquales illi quoad hoc Angelos bonos, similitudinem & *ἀποκίασμα* concedere possumus in hoc tertio: nullam verò æqualitatem, cum Dei immortalitas diversa sit totâ Essentiâ ab immortalitate credentium futurâ, vel etiam Angelorum præsentis, quod luculenter Paulus dicit 1. Timoth. 6. v. 15. ubi describitur tanquam *ὁ μόνος ἔχων ἀθανάσιαν*, qui solus habet immortalitatem, adeoque ipsi tribuitur absolutâ hâc phrasi immutabilitas fundata in summâ simplicitate Dei, quod etiam observavit Bernhardus scribens in Cant. Sermone 81. Qui solus habet immortalitatem, ego reor pro eo dictum, quod solus sit naturâ incommutabilis Deus. Vera enim & integra immortalitas tam non recipit mutationem, quam nec finem: quod omnis mutatio, quædam mortis immutatio sit. Omne enim quod mutatur, dum de uno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est, moriatur, quod est, ut esse incipiat, quod non est. Quod si tot mortes, quot mutationes, ubi immortalitas. Quæ longè solidiora illis Schlichtingii à Bukowiz scribentis, qui solus habet immortalitatem. nimirum, quia eam habet *καὶ ἐξ ἑαυτοῦ*, id est ex se, non ex ullius dono, alii autem omnes ex ipsius munere ac dono, hoc memorat non

tantum, ut appareat, quantum inter ipsum & alios terrenos Reges ac Dominos intersit, quod scilicet ille solus immortalitatem habeat, ut morti non subiectus Consilia sua ad effectum perducere queat; isti autem miseri mortales sunt, non minus quam alii homines, in quos Imperium exercent: sed etiam, ut hinc promissæ ab eo immortalitatis certissimam spem ac fiduciam concipiamus, qui si tot Angelos immortalitate donavit & Christum Ducem nostrum, an illi difficile erit, ut ex eodem inexhausto fonte immortalitatem in nos derivet.

XXXIII.

Ultimum denique non eludit vel elidit Smigleii argumentum Moscorovius. Nam *primò* concessio, agi ibi de statu, sive conditione piorum, agitur de illa cum respectu ad Deum, qui sese manifestaturus, atque asseritur civitatem illam non egere Sole, neque Luna, ut luceat in eâ; Claritatem enim Domini illuminaturam illam, & Lucernam ejus esse Agnum. Non itaque lucebit etiam Lux inter corpora cœlestia præstantissima, non lucebit alia quæcunque sive fingatur, sive pingatur præter Dominum & Agnum. Status itaque piorum ex illa Luce describitur sola, quæ est Gloria Domini, quæ est Lucerna Agnus. *Secundò*, unde quæso principaliter pii habebunt statum felicitatis, conditionis suæ beatitudinis, nisi ex Deo viso, Deus itaque absque velo conspectus est illa Lux, quæ influet in beatos, Agnus Lucerna est id, quod immediatè illis affulget, citra ullum aliud externum Lumen, in quo Deus esse fingitur. *Tertiò*, non sunt opposita status piorum & Domini Majestas atque Lux inaccessa, cum in illâ Lucis inaccessæ fruitione posita sit conditio piorum in alterâ vitâ. Illud autem fingitur etiam supposito secundum veritatem Textus nostri, aliam Lucem vel visam, vel conspectam fuisse Johanni præter Deum, nullius enim alterius vola; vel vestigium, & oppositio inter Solem atque Lunam sub quibus comprehenditur, quicquid creatæ est Lucis, nam utique hoc ad cætera quoque Sydera & Lumina extendendum, excludit omne diversum splendidum à Deo, in quo ipse habitat. Nec obstat, quod præter Gloriam vel Claritatem Dei etiam mentio fiat Lucernæ, quæ Agnus. Nam Johannes etiam Templum non vidit in illâ Civitate, sed agnovit Dominum Deum Omnipotentem.

Tem-

Templum illius esse & Agnum, nec propterea mediatum quid admittendum inter Deum, qui Templum est & quo Templum est, præterea Lucerna illa, quæ Agnus, non est diversa essentialiter à Patre, sed ejusdem naturæ teste Johanne 1. Epistola cap. 5. v. 7. ut proinde potius oppositè colligendum ex illo, nempe si illa Lucerna, quæ Agnus, non est aliquid diversum à Claritate Dei illuminante cœlestem Hierosolymam, etiam alia aliqua Lux intermedia inter Deum & cœlestem Hierosolymam non dabitur. Nec male Pareus ad verba illa: Et Lucerna ejus est Agnus, observat, scribens: *Etiam in Lumine DEO conjungit Agnum, ut parem utriusque Majestatem & Gloriam commendet. Etsi enim Agnus carnis gloriosissima ratione erit infra Deum (quod certa ratione admittere possumus) tamen Majestate Divinitatis sue, una Lux erit Civitatis cum Patre & Spiritu S.* Adde, quæ habet ad versiculum vigesimum secundum. Et quamvis disertis verbis non dicat Lucem illam inaccessiblei esse Deum, sequitur tamen hoc ipsum, ut ex dictis patere potest. Fingamus autem *λυχνον* illum Agnum dicere aliquod peculiare Bonum quod piis eventurum, nihil tamen accedet Moscorovio, quia secundum Ferrarium notabitur Revelatio liquorum, quam Agnus illis de tempore in tempora faciet, Ductus, quo eos ducet velut Lucerna prævia, Manifestatio admirandorum. Ponamus cum Grotio Patris Claritatem, ut Solem figurari, Christi ut Lunæ, cum secundum ipsum Johanni visæ sint procedere ex foliis regalibus, quæ erant in media urbe, de quo cap. 22. v. 1. non divisa erunt illa folia, sed unum, unus enim Thronus Dei & Agni. Largiamur & hoc, quod aliquod Lumen à Deo diversum hic connotetur, non tamen erit id Lux illa inaccessa, sed secundum Tirinum Lumen Gloriæ, de quo ipse ita: *Deus ipse splendidissimus per Lumen Gloriæ quod in incolas omnes diffundit instar fulgentissimi Solis eam semel & simul, ut alio Lumine non egeant totâ aternitate.*

XXXIV.

Confundat autem Moscorovium Socius Religionis recentior Jonas Schlichtingius à Bukowiz, qui ad verba versiculi quinti, Epistolæ Johannæ hæc addit: *Exponit id, quod promissio ista contineat, nempe quod Deus Lux sit, id est ipsa puritas, sanctitas per Metaphoram. Luce enim nihil purius, & ad versiculum septimum hæc notat:*

notat: Non dicit Apostolus: Sicut Deus ambulat in Luce, sed sicut Deus est in Luce, perpetuam & immutabilem in Deo Sanctitatis & Puritatis constantiam notare voluit. Nam qui ambulat, aliquando etiam quiescit, aliquando & cessitat, aliquando & procidit. Hanc igitur Dei Sanctitatem & Puritatem, quantum hominibus fas est & consequi datur, imitari debemus. Transeat illud, quod Deum Lucem esse dicat per metaphoram: Illud est contra Moscorovium, quod agnoscit Deum esse ipsam Puritatem, Sanctitatem, adeoque non tantum casualiter propter vim illuminandi, ut philosophatur ex Origene Moscorovius, illud quod observat, cum Deus dicitur esse in Luce perpetuam & immutabilem in Deo Sanctitatis & Puritatis constantiam indicari, adeoque non repugnare esse sive existere in Luce, & esse ipsam illam Lucem, imò ipse Crellius utut lubricus & ambiguus in Explicatione loci 1. Timoth. 6. ita tamen loquitur, ut agnoscere videatur ἀνθρωποπαθειαν, sive figuratum quoddam dicendi Genus. Verba illius ita habent: Majestatem & Splendorem, quo circumfusus est Deus Luce illâ inaccessibili exprimit, alludendo sine dubio ad mores Regibus & Principibus terrenis usitatos, quod sicut illi constituant atrienses & admissionum Magistros, nè temerè à quocunque adeantur, raroque conspiciantur, nè si vulgentur, omnibusque semper pateant, vilescant, ita Deus Optimus Maximus circumfuderit sibi Lucem & Splendorem, qui neminem patiat ad ipsum propius accedere, ejusque ut ita dicam, faciem intueri. Id quod tamen propriè respectu hominum videtur intelligendum, ut sequentia sint horum velut explicativa, cum addit; quem vidit nullus hominum, nec videre potest. Ubi vox hominum ita videtur sumi, atque cum solet Christus hominibus opponi, qui se Patrem vidisse ipse testatur. Porro, quia nec Angelos in suâ ipsorum Essentiâ videre possumus, notandum est, dupliciter aliquid invisibile dici, vel quia subtilitate suâ fugiat visus nostri aciem, vel quia excellentia fulgoris facultatem visivam perimat. Et illo quidem modo Angeli, hoc Deus Optimus Maximus invisibilis nobis esse videtur. Ubi apertè phrasin habitans Lucem inaccessibilem ita explicat, ut dicat Paulum alludere sine dubio ad mores Regibus & Principibus terrenis usitatos, ita tribuit Majestatem & Splendorem circumfusum Omnipotenti Deo, ut non exponat, an diversus
ille

ille sit à Deo, nec ne. Cùm Majestas etiam competere possit alicui Enti simplicissimo & Splendor per identitatem, agnoscit phrasin illam explicari per sequentia, quem vidit nullus hominum nec videre potest, at Deus ipse in suâ Essentiâ est ille, quem nullus hominum vidit, nec videre potest. Ipse itaque Deus erit Lux illa, quæ inaccessibilis, Majestas illius id, quod hominum omnium facultatem transcendit.

XXXV.

Diximus Deum non tantùm ratione Essentiæ dici Lucem in Scriptura, sed etiam personarum hoc esse Nomen, & quidem de Filio Dei enunciari non semel Johan. primo, maximè verò cum singulari Epitheto in versiculo nono. Photiniani verò, densissimis circumfusi tenebris Majestatem Lucis debitam invidentes Messix, quidvis moliantur, nè penetret nobile Verum. Audiamus itaque Jonam Schlichtingium ad supra à nobis allegata verba, qui hunc Commentarium nobis reliquit: *Erat Lux hominum versu quarto. per Metaphoram à corpore. admirabili Luce hominum animos complebat, ostendens illis verum & unicè expetendum Bonum, illiusque adipiscendi non minus certam, quam expeditam rationem ingenti, ac perpetuâ cum animorum letitiâ. Hinc de populo, qui primus in Galilæâ meruit hujus Sermonis audire praconium: populus sedens in tenebris vidit Lucem magnam, & sedentibus in regione & umbrâ mortis, Lux exorta est eis Matth. 4. v. 16. Intelligitur autem Lux κατ' ἐξοχὴν vera nimirum & perfecta. Idèò Græcus textus habet τὸ Φῶς cum articulo emphatico, qui non vulgarem, sed singularissimam & prorsus eximiam Lucem declarat. Porrò vita hic per Metonymiam ponitur pro Nuncio de vitâ, seu, ut Petrus loquitur infra cap. 6. v. 68. pro verbis vitæ aternæ. Hoc sensu & Christus infra cap. 12. v. 50. mandatum Patris, vitam aternam dicit, id est, vitæ aternæ annunciationem & 1. Job. 1. v. 2. Vita ponitur pro promissione vitæ aternæ, quæ apud Patrem erat, nunc autem manifestata est. Docemur hoc loco ante Sermonis Adventum clarum de vitâ aternâ, deque illius consequenda Ratione Nuncium, & consequenter Lucem veram & perfectam inter homines non fuisse. Unde etiam Lucem Mundi sese appellare solet. & infra versu nono Lux vera τὸ Φῶς τὸ ἀληθινὸν cum particulis emphaticis appellatur, & Sermo hoc Nomine, quod in ipso vita & vera Lux hominum esset, etiam ipsi Baptiste opponitur. Prædicavit quidem Baptista regni cæ-*

F

lorum

lorum appropinquationem, sed regnum cœlorum dixit pro regno DEI per Metonymiam continentis pro contento Regnum autem Dei significat regnum Messie, per quem Deus singularissimâ & cœlestissimâ ratione in terris regnaturus esset. Solet quidem Christus regni Dei vel regni cœlorum Nomine vitam æternam & beatum illum in cœlis statum non raro intelligere, sed jam ex suo, non ex Johannis Baptiste & aliorum sensu: nec cum voces regni vel cœlorum hoc sensu accipit, illud appropinquasse vel adesse dicit, sed id tanquam mercedem rectè factorum pollicetur & constituit. Veteres temporibus præsertim Maccabaicis, haud dubiè ex desiderio & exemplis Martyrum conceperant spem vita post mortem futura, sed cum nullam haberent certam & claram illius promissionem, expetebant cum Messia Nuncium vita æterna. Id ipsum mulier illa Samaritana innuit infra cap. 4. v. 25. & Paulus significat Act. 23. v. 6. cap. 24. v. 15. cap. 26. v. 6, 7. 23. Lucem hominum in specie dicit Apostolus, ut ostendat sede animorum Luce loqui, non de corporum, seu de spiritali, non corporali Luce; proinde ad Lucem illam corporalem initio creationis factam, tantum alludere. Quis verò non videt his verbis ad Evangelii tempora planè respici, quibus Lux ista venit ad homines? Unde constat etiam superiora de iisdem temporibus intelligenda esse, ex superioribus enim hoc pendet & consequitur. Et ad versum 9. Erat Lux vera, de quâ nimirum Johannes testaretur: τὸ Φῶς τὸ ἀληθινὸν quasi dicat, non qualiscunque Lux. Nam hoc sensu & Johannes Lux erat, eaque eximia etiam; sed vera, id est, cui vox & appellatio Lucis in perfectissimo sensu conveniat, non erat. Quâ loquendi ratione & Deus ille unus ὁ ἀληθινὸς Θεὸς dicitur, quanquam etiam articulus voci ἀληθινὸν (dicit enim τὸ Φῶς τὸ ἀληθινὸν) additus non simpliciter veram Lucem, sed excellenter veram designare potest, vide cap. 4. v. 37. Sic & Sol est, Lux & Lux vera, non quod alia Sidera non sint Lux vera, sed quod à Solis Luce, cui Lucem suam acceptam ferunt, longè superentur. Quæ illuminat omnem hominem veniens in Mundum. Describit Lucem veram ad instar Solis, qui, cum exoritur, omnem hominem illuminet. Erat ergò Johannes, ut ipse Christus dicit cap. 5. v. 35. Lychnus ardens, brevi ad finem perventurus & Lucens, vos autem addit, voluistis exultare ad horam in Luce ejus. Istos ipsos intelligit Christus, qui Johannem veram Lucem esse putabant, Johannes Judæorum tantum gentem illuminabat, idque obscurè admodum comparatione Lucis veræ, & ad horam, id est, ad breve tempus, planè

ut

ut lychnus ardens. At Lux vera, quæ Jesus est sermo Dei omnem hominem illuminat & perpetuò illuminat. Veniens in Mundum, alludit ad Solis exortum. Non Judæos tantùm illuminat, sed omnes omnium gentium homines. Omnibus enim in se credentibus vitam æternam pollicetur. Idèd non lychnus est, non Lux aliqua parva & obscura, quæ longè pertingere non potest, non ad breve tempus lucens, sed perpetuò lucens, ac verus Mundi Sol. Poni autem Apostolus Effectum pro Efficacia, ut versu 5. dicitur. Proinde non illuminat omnem hominem, quod nec Sol facit, sed omnem hominem illuminandi vim habet, qui oculos non claudunt, qui tenebras non querunt, qui vitiis, qui pravis affectibus & opinionibus excæcati non sunt, omnes illuminantur ab hæc Luce. Quorum hominum, quia pauci sunt præ aliis, idcirco factò ipso paucos illuminat, sed hominum propriâ culpâ, non defectu suo. Solet sæpè Effectus poni pro Efficacia. Sic per Christum dicuntur omnia renovata, creata, reconciliata, parata. Sic Christus Mundi Servator appellatur. Sic infra versu 29. Agnus Dei, qui tollit peccatum Mundi & propitiatio pro peccatis totius Mundi dicitur & alia his similia. Eandem pbrasin & mox versu sequenti habebimus. Addit veniens in Mundum. Nam antequam Lux veniret in Mundum, nullum hominem illuminabat. Sic neque Sol illuminat, antequam exoriat. necessarius igitur erat Lucis istius in Mundum Adventus, quâ adveniente Johannis illa Lux protinus obscurata est, & huic Luci concessit, seu præ illâ evanuit, sicut Lychnus ardens, imò & Phosphorus exorto Sole. Mundi voce hic homines intelliguntur consueta Synecdoche confer cap. 3. v. 19. cap. 6. v. 14. cap. 9. v. 39. cap. 12. v. 46. cap. 16. v. 28. Job. 17. v. 19. 1. Job. 4. v. 1. Itaque venire in Mundum hoc loco est venire ad homines. Sic & Apostolos Christus mittere se dicit in Mundum: Sic & AntiChristi dicuntur venisse in Mundum. Sic & Christus ipse mox dicitur venisse in propria, id est ad propria. Qui hic interpretantur venientem in Mundum primum non considerant pbrasi venire in Mundum non significari nasci, sed jam pridem natum venire ad homines, ut diximus. Est enim mutua relatio intervenire in Mundum, & mitti in Mundum, quâ de re versu 6. & 7. egimus. Deinde non consideraverunt sine ullâ Emphasi addi venientem in Mundum: An enim ulli homines sunt extra Mundum, qui illuminari possunt, antequam nascantur? an Lux erat extra Mundum apud Deum, quæ ut illuminaret hominem omnem, opus erat, ut ad homines veniret in Mundo versantes,

scut & Sol opus habet, ut exoriatur & veniat. Denique non considerant mutua relationem inter hæc & sequentia verba in Mundo erat: Incipit enim Johannes à fine antecedentis sequentem sententiam. Ideò quippe Lux erat in Mundo, quia in Mundum veniebat, & in Mundum veniebat, at in Mundo esset. Rem satis per se manifestam non observarunt antiquissimi Interpretes; quid igitur mirum, si in aliis obscurioribus, in voce puta principii, Sermonis & eorum, quæ de Sermone dicuntur, ab Apostoli mente aded delirarint.

XXXVI.

Ad locum Lucæ primò Abrahamus Scultetus hæc commentari voluit: Cum dubium non sit, parentem Johannis versu 38. utroque oculo respexisse ad Prophetas, Zachar. 3. v. 8. & 6. v. 12. Jerem. 23. v. 5. à quibus Messias (etiam Chaldæo Paraphraste teste) vocatur מִשַׁחֲמַיִם queritur, an Græci Interpretes, quos Lucas sequutus est, rectè τὸ ΜΩϞΑ verterunt ἀνατολῶ orientem? Josephus Scaliger in Elencho Trihæresii magno zelo interpretationem istam tuetur. Verba Scaligeri: Christiani nè viderentur judaizare, ad Orientem adorabant. Judei enim ad Occidentem adorabant. Porta enim Tabernaculi spectabat ad Solem: Sancta sanctorum illi opposita conversa erant ad Occidentem. Unde necessarid ad Occidentem adorabant. Neque solùm ob hanc causam, sed, quod Christus à Prophetis vocatus est ἀνατολή Luc. 1. v. 27. ut rectè verterunt LXX. Jerem. 23. v. 51. Zachar. 3. v. 8. & 6. v. 12. ubi ebraicè est מִשַׁחֲמַיִם, unde Judei Horoscopum vocant מִשַׁחֲמַיִם, id est, ἀνατέλλοντα. Vox ebraea duo significat, germen & per secundam notionem ἀνατολῶ, qui vertunt germen, imperitè faciunt, audeo dicere, neque mentiar, contra verbum Dei. τὸ ἀπαύρασμα, id est, splendorem, quod est in Epistola ad Ebræos, Syrus Paraphrastes vertit ΜΩϞΑ Christum ἀνατολῶ vocatum ter aut quater invenies apud Justinum. Et si autem non peccant, qui Tsemach vertunt ἀνατολῶ, tum quod ista secunda Nominis significatio est, tum quod tenebrarum, atque aded tacitè Lucis mox fit mentio: tamen (ignoscant mihi magni Scaligeri manes) ebraicam vocem Tsemach germen malo, quam Orientem interpretari. Hæc enim propriissima vocis ΜΩϞΑ significatio est, succrevit, germinavit, pullulavit. Ideò Jerem. 23. v. 5. pro ἀνατολῶ Symmachus habet βλάσημα sic Zacharie 3. v. 8. Ἐγὼ ἄγω τὸν δέλον με ἀνατολῶ. Alii legunt pro ἀνατολῶ ἀναφυή, alii βλάσημα. Itemque Zacharie 6. v. 12. pro ἀνατολῶ, alii habent ἀναφυή, alii βλάσημα, & quod mireris LXX.

LXX. ipsi sententiam Jerem. 23. v. 5. ἀναθήσω τῷ Δαβὶδ ἀνατολῶν δικαίαν) repetentes cap. 33. v. 15. dicunt: βλασφημίαν ποιήσω τῷ Δαβὶδ βλασφίαν δικαιοσύνης. Qui ἀνατολῶν Orientem vertunt, & hoc non participio, sed substantivo nomine Christum ipsum intelligunt, sibi ipsis contradicunt. Fatentur enim cum Erasmo ἀνατολῶν Exortum Solis, aut Regionem, unde oritur significare, & tamen per ἀνατολήν ipsum Solem Christum intelligunt, qui neque exortus rei, nec Regio, unde oritur, sed id ipsum quod exoritur. Jam quod Zacharias Sacerdos de suo addit ἐξ ὕψους ex alto, sive è cœlo id ipsum satis indicat, de germine sermonem esse, quod à reliquis plantis differat, quippe quæ omnes è terrâ germinant: cum hoc germen sit è cœlo, hoc est, cum Virtus Altissimi obumbrârit Mariam, ut ex eâ nasceretur Surculus ille, qui genuerit Justitiam ad Salutem Ecclesia sue. Ac transtulit aliquando ita doctissimus Interpres germen ex alto: sed cum novitate illa nonnullos offensos audiret, mutavit, ac convertit, perindè ac scriptum esset ὁ ἀνατολῶν ἐξ ὕψους, qui prodit ex alto. Sed novum non est, quod in veteri Ecclesia prophetica fuit decantatum. Scaligeri Rationes non moror. Neque enim mirum à Justino Martyre Christum aliquoties ἀνατολήν dici: Siquidem ille hebraicarum literarum Ignarus in Versione LXX. acquievit. Nec illud mirum nominibus à verbo ἱεροῦ derivatis Judeos Heroscopum, Syrum, Paraphrasten Splendorem designare. Nihil secunda notio Verbi præjudicat primæ. Quæri etiam posset, an propterea, quod ἀνατολή dictus est, Christiani veteres ad Orientem adorârint? Ipse Scaliger aliam causam assignavit: nè viderentur judaizare, sed fuerint sanè plures unius hujus rei causæ. Janus Drusus certè notis in Sulpitium Severum aliam causam illius adorationis aperit. Quam solam veram esse asseverare videtur: Patres, inquit, ad unum ferè omnes, Paradisum extra nostrum Orbem constituunt, ajuntque (Augustinus ad Orosium) illum in Oriente situm esse interjecto Oceano, & à nostro Orbe longè remotum, in altissimo loco constitutum pertingere usque ad Lunarem Circuitum. Ex hâc falsâ opinione Veterum orta est consuetudo precandi Orientem versus, apud omnes Christianos usitata; qui etiam Tempia sua sibi extruunt, ut ea pars, in quâ Sacerdos versatur, quem Chorum indigitant semper Orientem respiciat: quasi hoc modo declaremus, nos expetere, & desiderare locum, unde primi parentes nostri suâ culpâ ejecti fuerunt, nihil verius. Quod si quis nunc roget, cum Tsemach vel Germen, vel Orientem significet, cur ergò Chaldeus Zach. 3. v. 8.

id interpretetur *Messias*? Respondeo fieri per Gematriam id, hoc est, eam artis cabalistica partem, quæ diversa dictiones eundem Numerum literis suis exprimunt, sic, ut una per alteram secreto modo explicetur. Nam מנחם valet 138. totidem valet מנחם Consolator. Hoc autem Nomen *Menachem* numeratur à Cabalisticis & Talmudisticis inter Nomina *Messia*. Unde Cabalisticè per *Tsemach* intelligitur *Messias*.

XXXVII.

Hugo Grotius ad loca *Esaiana* supra pro confirmatione sententiæ nostræ adducta, suas quoque notas addidit nobis aduersas. & quidem ad versum secundum capitis noni scripsit: *Populus Hierosolymitanus in gravissimis constitutus periculis, quæ tenebrarum Nominis appellant Ebraei, vidit Lucem magnam experietur egregiam liberationem caso Sennacheribi tam valido exercitu.* Et ad cap. 49. versum sextum de *Esaia* paraphrasin sequentem adornat: *Parum est, id est, non sufficit mihi, ut Ebraeis prædices, & facies Israel convertendas, reliquias populi. Ecce dedi te in Lucem gentium. Ut illos quoque ab Idolis avertas, & sic plurimos serves.* Vide supra cap. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 33. 34. 41. 45. 46. denique ad illud *Esaia* 60. versu primo ita scribit: *Surge, illuminare Jerusalem. Illuminare, id est, expurgare. Causa sequitur, quia adest Lux, id est, prosperitas.* Nomen *Jerusalem* in *Ebraeo* non est, sed non malè ad sensum additum est, & à *Græcis* & à *Chaldæo*. Versu secundo: *Et caligo populos Medos primum, deinde Babylonios, ambulabunt Gentes in Lumine tuo, & Reges in Splendore ortus tui. venient tibi gratulatum.*


XXXVIII.


Sed quid in hisce desideremus etiam exponendum, nec ita absque *Crisi* hæc dimittendæ Expositiones. Nam primò *Schlichtingius* supponit *Vitam* dici *Lucem* hominum per *Metaphoram* à *Corpore*, cum potius proprietati insistendum: supponit $\lambda\beta\gamma\theta$ fuisse & esse *Lucem* hominum manifestatione dogmatica veri & unicè expetendi *Boni*, supponit dici *Lucem* hominum tantùm scilicet tempore *N. T.* & docente illo viventium, quorsum refert quoque illud *Matth.* 4. v. 16. cum tamen dicatur *Lux* hominum indefinitè, ita, ut universaliter commodissimè accipiatur, *Patres V. T.* quoque gavisi fuerint hæc *Luce* & per illam consecuti sint *vitam æternam*, teste *Petro Actor.* 15. v. 10. luxerit in tenebris *N. T.* tempora quoque præcedentibus. *Secundò*, *Vitam* hic per *Metonymiam* poni


poni pro Nuncio de vita, seu pro verbis vitæ æternæ nimis remotum est; Loquitur enim Johannes de ipso Christo, non Doctrina illius, dicit in ipso λόγῳ fuisse vitam æternam & Vitam fuisse Lucem hominum principium omnis illuminationis. Vitam itidem 1. Johan. 1. ῥ. 2. poni pro promissione vitæ æternæ, quæ apud Patrem erat, nunc autem manifestata sit, cum vita substantialis hîc intelligatur, itidem à sensu & scopo Johannis sit alienum. *Tertio*, Doctrina illa quam elicit, non fuit ex textu, sed præconcepta Opinione, falsum enim ante λόγῳ sive Sermonis Adventum, ante Apparitionem Filii DEI in Carne clarum de vitâ æternâ, deque illius consequendæ ratione Nuncium & consequenter Lucem veram & perfectam inter homines non fuisse. Nam eo ipso quo Christus Lux Mundi, ut loquitur Schlichtingius, fuit etiam Lux illorum qui antecesserunt tempora N. T., eo ipso, quo Lux vera τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν cum particulis emphaticis, est Lux illa eminens & omnium temporum intercapedines transcendens, eo ipso quo Johanni Baptistæ opponitur, qui Lucem intulit & contulit quoque suam, ex ipso Lux intelligitur fuisse & ordine, & dignitate, & tempore illum antecedens, de quo ipse Johannes ῥ. 27. *Hic ille est, qui post me venit, qui ante me fuit, cujus solearum Ego non sum dignus, qui solvam corrigiam;* quæ verba quidem Augustinus & Chrysostomus de prærogativa dignitatis acceperunt. B. tamen Lutherus non malè de ordine temporis, conformiter phrasi Scripturæ 1. Paral. 29. v. 25. 2. Paral. 1. v. 12. loco parallelo Joh. 8. v. 58. nec non græcis Scriptoribus, imprimis Plutarcho, qui de Pythiæ oraculo πλὴν dicit ἐμῶς εἶεν ἀλίγῳ ἔσόνω, & malè Volkelius: *Quod quidem perinde est, ac si hunc in modum locutus fuisset: hic est, qui licet tempore me posterior fuerit, dignitatis tu. & admirandæ sublimitatis ratione factus est præstantior, meq; diviniſſimis quibusdam & planè cœlestibus qualitibus mirum in modum superat: nempe quia etiam ipsius muneris ratione me longè antecellit; cum is ipse muneris, quod ego gero, finis ac terminus sit, ad quem quicquid dico, quicquid ago, est referendum.* Rectè enim contra Mareſius: *Hæc glossa corrumpit textum, non exprimit illius mentem: Nam et si Johannes posteriorem Christum seipso faciat, quoad apparitionem nempe, muneris sui auspicia, & manifestationem Israeli, non secus ac phosphorus si loqueretur Solem pone se venire diceret, attamen illum facit se priorem non solum dignitate, sed etiam existentia & duratione:*


Nam


Nam quamvis illud ἐμῶσθεν μὲ γέγονεν Job. 1. v. 15. 27. 30. de pre-
 cellentia dignitatis sumi queat; nec omnino male reddatur à Beza ante-
 positus est mihi; sic enim Gen. 49. v. 20. ubi Jacob dicitur Ephraimum
 præposuisse Manassi, in Græco textu est ἔθηκε ἔ' Εφραϊμ ἐμῶσθεν ἔ
 Μανασσῆ; attamen & potest commodè intelligi de prioritare existentia
 & temporis, ut sonet ante me erat vel fuit, ut etiam reddidit Syrus in-
 terpres, melius quàm Latinus, ante me factus est; & saltem illius præfe-
 rentiæ quoad dignitatem, causam assignat Baptista prioritatem duratio-
 nis & existentia: Antepositus est mihi, quia prior mea erat: Duratione
 utique; nam licet sex mensibus junior esset, nativitatem humanam quod
 attinet, tamen quâ λόγος fuit ab æterno Mich. 5. v. 2. & jam erat in
 principio rerum creandarum Deus ipse & apud Deum Job. 1. v. 1. Quam
 insulsum ante Adventum Verbi clarum de vita æterna, deq; illius
 consequendæ ratione nuncium & consequenter Lucem veram &
 perfectam inter homines non fuisse. Annon Deus dixit Abrahamo:
 Ego Clypeus tuus & Merces valde magna. Gen. 15. v. 1. annon professus
 est coram Mose, se esse Deum Abrahami, Deum Isaaci, Deum Ja-
 cobi. Exodi 3. v. 15. cum quo conferendus locus Ps. 144. v. 15. &
 illud Christi Matth. 22. v. 31. 32. annon apertè pronunciavit: Qui
 fecerit hæc, vivet in eis. Levit. 18. v. 5. & quid aliud vult Paulus
 Rom. 4. v. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. quam quod hætenus as-
 seruimus. Quam contorta illa de Regni Cælorum appropinquatio-
 ne, quasi Regnum Messia sit aliud quam vita æterna, vel Re-
 gnum Gratia excludat Regnum Gloria, & quasi hoc esset Merces
 rectè factorum, atque ut talis promissa, atque constituta; quam de-
 nique Vero diffonum, Veteres temporibus Maccabaicis ex deside-
 rio & exemplis Martyrum concepisse Spem vitæ post mortem fu-
 turæ, sed cum nullam habuerint certam & claram illius prom-
 sionem expetiisse cum Messia nuncium vitæ æternæ: annon enim
 ante illa tempora Spes fuit vitæ æternæ, imò promissio data &
 publicata, ut ostendimus? an tantum Spem habuerunt, non Fidem
 Beatitudinis æternæ & notitiam futuræ vitæ? an ex desiderio &
 exemplis Martyrum tantum hauserunt viventes tempore Macca-
 bæorum aliquas guttulas de commutatione status, & non potius
 ex Verbo Dei conceperunt firmam fiduciam de felicitate secutura.
 Et quam nihil faciant pro Schlichtingio Diæta ex Johan. 4. Actor.
 23. & 24. nec non 26. cuius attendenti patet, imò quomodo illa
 quæ Paulus proposuit nostram planè stabiliant sententiam.











the scale towards document

Aduersus Montanum.

um sanè Concilium est & antiquissimis
forme, quod more suo Ecclesia Romana
ac celebrat: quod in cōp à Pontifice Roma
tur, habetur à Præfulibus, aut his qui iure
consuetudine diutissimè seruata, interesse
ent, & suffragia deferre, de doctrina fidei,
ecclesiæ, uel pacè inter Principes Christian
a. Quodcunq; ab hoc discrepauerit, Ec
n solet Concilium appellare, sed Sathanæ
Concilium malignantium, Conciliabu
um mente perditorum.

*ut olim fidei do-
templi templi h
padoq; fulta
Romana*

um prouehor?

recipitem egit extra te ipsum amentia aut
dicendi, ut quo proueharis, nescias. Recipe

MON.
GASP.

*olui graues ob causas profectioe Triden-
ersedendum esse: quod si perfecti, dicendi
us sum. Superest, ut uelis collectis, nauem in
cam.*

MON.

nile perfecisti, neq; perficere unq; poteris,
niuersa colluuias hæreticorum suppetias
estat, nisi ut ad te redeas, in te descendas,
tisper habites. Cogites, unde excideris,
& Ecclesiæ Romanæ charissimæ eius
tare debeas. Ego non dubito, quin si te
, atq; id animo feceris ueritatem explo
tendiq;, facile tibi Spiritus sanctus eam

GASP.

X iij mentem